

Ant. v. Giesbreg. Auct.

Ms. 59.1.

17  
CHRISTVS  
A CORRVTIONE IN MORTE  
IMMVNIS HAC DEVICTA  
AETERNVM VIVENS

---

COMMENTATIO TERTIA

AD

SACRA PASCHATIS

PIE CELEBRANDA

IN

ACADEMIA IENENSI

PROPOSITA



5.

---

J E N A E  
LITTERIS MAVKIANIS.



DEI GRATIA  
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE, IVLIAICI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET  
GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MIS-  
NIAE, COMES PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBERGIAE, COMES  
MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVEN-  
STEINII CAET.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS

CHRISTI REDIVIVI GRATIAM PRECATVR  
CIVIBVS

**P**ostquam augustum Davidis de Christo redemptore oraculum, quod  
psalmi decimi sexti commatibus decimo et vndecimo exhibetur, in  
illis, quas alio tempore dedimus, commentationibus exponere ag-  
gressi sumus; in cepto pergentes proposito ad ea, quae restant, eius  
enuntiata illustranda progredimur, quae non excitationem modo serua-  
toris e mortuis in iis, quae praemissa sunt, propositam declinant atque  
conficiant, verum etiam illius in vitam restituti statum delineant eum-  
que felicissimum, et prius quidem verbis: **הוֹדִיעֵנִי אֵת חַיִּים** *notam*  
*mihī facies semitam vitae*, quae, quod veritatem exhibent grauem, cu-  
ratius expendere iuuat.

Ante vero, quam in eorum vim et significandi potestatem inqui-  
ramus, de genuina textus lectione solliciti simus necesse est, quum ea  
demum rite constituta certa euadere possit, quae illa nititur, interpre-  
tatio. Variam eandem deprehendimus in vocabulo **חַיִּים** quod LXX fe-  
niores

niores in plurium numero ponendum reputarunt, effatum transferentes: ἐγνώρισάς μοι ὁδοῦς ζωῆς, haud obscuro, ut videtur, indicio, in eo, quo vsi sunt, codice ebraeo nomen hoc pluralitatis nota instructum extitisse מוֹדוֹת Sequitur eos versio vulgata, ad graecam illam haud raro expressa, itemque arabica, quae in bibliis polyglottis extat, et aethiopica, quam utramque e textu LXX graeco traductam esse, satis inter rerum harum peritos constat. Auctoritate harum versionum nonnulli interpretum ducti plurium meminerunt semitarum, quibus ad vitam transierit seruator. Scribit DAN. CRAMERVS a): *exantlato mortis labore Christus prae se inuenit multas semitas vitarum. Prima semita fuit transitus a morte in vitam per viam resurrectionis. Secunda fuit transitus ad vitam per viam ascensionis: tertia per sessionem ad dextram patris. Declaratur igitur his (textus nostri) verbis beneficium resurrectionis, ascensionis et sessionis ad dextram patris.* Sed quum haec lectio neque masearetharum fide, neque codicum manuscriptorum et typis expressorum exemplis stabiliatur, chaldaica quoque μετάφρασις atque ea, quae Hieronymo originem debet, translatio latina vocabulum hoc in vnitatis numero exhibeant, non est, quod eandem agnoscamus genuinam. Dubio enim caret, istam scribarum vitio in illum, quem LXX. adhibuerunt, codicem irreplisse. Eadem fere ratio est Syri interpretis, qui suffixum nomini addit transferens: *أَفْزَادِي* semita tua, quandoquidem, quae

mox enarrata sunt, argumenta et hanc lectionem impugnant. Sed quae sit vtriusque variantis origo magis determinata non liquet. Coniicit quidem celeb. IO. DAV. MICHAELIS b), in codice quondam ebraeo vocabulo מוֹדוֹת subiunctam fuisse litteram, quae, quum fere extincta fuerit et oblitterata, a scriba quodam lecta sit מוֹ אֲבִי ab alio מוֹ quorum illa in codice septuaginta seniorum, haec in eo exlitterit, quo vsus sit Syrus. Sed mera est suspicio non exponens, qua ratione littera illa spuria primum codici sacro inserta sit.

His declaratis, enuntiati sensum explicare iuuat. Messiam e mortuis reuocationem expectantem eum, quem commate proxime praemisso, patrem suum caelestem hic compellare, nexus orationis docet arctissimus et deficiens personae, quae loquitur, mutatae indicium. Quae

A 2

a) schol. prophet. class. I. p. 79. b) colleg. critic. in psalm. de Christo p. 245. seq.

igitur sit sententia formulae וְיָשַׁר מִן הַיָּם iam disquirendum est. Posteriori vocabulo praeter naturalem, quae animato competit, vitam, pro ea, quae translata est, eius virtute prosperum atque felicem viuentis statum denotari c), itaque de vita non minus spiritali, quae peccatorum morti ex aduerso positam rectam infert deoque placentem viuendi rationem veraeque inferuit felicitati d), quam aeterna et perpetuae adeo beatitudinis statu e) adhiberi, litterae sacrae docent. Vnde facile intelligitur, quae sit iuncti nominis וְיָשַׁר potestas. Quum enim proxima eius et propria non obtineat, alia quaerenda est. Iam vero per semitam viator ab vno loco venit ad alterum suiue sit compos propositi. Vitae igitur semitam id notare patet, quo vitam aliquis consequitur vel naturalem, vel spirituales atque aeternam, quam quidem vocabuli vim et vsus in sacra scriptura obuius confirmat. Vitur eadem modo Salomo, docens, quae vera sint ad felicitatem perueniendi itaque veram viuendi rationem et vitam aeternam consequendi remedia, quaeque eam impediunt, quod plura prouerbiarum oracula comprobant f). Quae vero sit eius in nostro hoc enuntiato virtus, de eo non omnes consentiunt interpretes. HIERONYMVS quidem, vel quisquis est auctor commentarii, qui sub eius nomine exstat, de iis seruatoris praeceptis, quae hominibus ad vitam sancte gerendam proposita sint, exponit g). *Via*, inquit, *vitalis mandata Christi sunt, ut scriptum est: si vis vitam ingredi, serua mandata.* Messiam igitur profitentem facit, quas suis iniungat vitae rite gerendae normas, patrem suum sibi notas esse facturum. Sed textus וְיָשַׁר haec plane aduersantur. De suo enim, qui mortem et sepulturam insequeutus sit, statu seruatur loquitur, quod ea, quae proxime praecedunt, factis confirmant, in quibus, patrem caelestem non permissurum esse, vt corpus suum, tumulo conditum, corruptioni obnoxium sit, adfirmavit. Quae vero esset ad haec relatio, vt pater eidem, quas suis proponeret, doctrinas notas faceret? quod ne illi quidem conuenire conditioni, in qua rediens a morte Christus erat constitutus, non est, quod longius probemus. Haud maiori veritatis specie se commendat HVG. GROTII sententia, qua in enuntiatum hoc nostrum commentans h): *notas, inquit, facies, id est, ostendes mihi viam, qua liberer ab his periculis.* De Dauid


c) p. XXXIII. 13. CXXXIII. 3. d) prou. III. 23. VIII. 25. coll. Io. X. 12. e) prou. XV. 24. f) c. X. 17. XV. 24. V. 6. II. 19. g) oper. tom. II. p. 153. edit. Martiney. h) annotat. in psalm. in biblior. critic. tom. II. p. 1189.

uide enim dum dictum hoc sensu literali valere contendit, eum his suam positam in deum fiduciam exponere existimat, qua persuasum habeat, fore ut numen benignissimum viam ei et rationem monstrat, qua a periculis liberetur, in quae Saul eum vocauerit. Quum vero, personam in psalmo loquentem solum esse Messiam, e superioribus constet, et excitata haec textus verba de illo proxime intelligenda esse, vel Petrus testetur vir diuinus *i*); corruente hoc Grotii commento, concidit, quae eo nititur, expositio, quum illa insuper, quae huic loquendi formulae tribuitur, potestas in sacris litteris plane inusitata sit. Sed neque punctum feriunt, qui nostrum hoc effatum sensu proximo de Christo et remotiori de piis ad vitam et gloriosam quidem seruatoris merito olim reuocandis exponunt. Scribit ANDR. RIVETVS *k*): *etsi Christo competant haec verba immediate, debent tamen etiam ad Davidem et omnia ecclesiae membra referri, quibus per Christum communicatur tantum bonum, sensu secundario.* Idem sentiunt ROB. BELLARMINVS *l*) atque FRANC. WOKENIUS *m*). Homines quidem pios eosque omnes vita post mortem gloriosa per Christum ornatum iri, plura testantur litterarum sacrarum oracula *n*). De illis autem hic sermonem esse, ex his non rite colligitur. Duplicem eiusdem dicti sensum eumque literalem non admittendum esse, non est, quod demonstramus, quum inter omnes constet. Textus insuper *quid. Quid.* repugnat. Incisum proxime praemissum nequaquam ad sanctos quadrat Christi cultores, quorum corpora post excessum e vita corruptioni omnino sunt obnoxia. Qui itaque fieri possit, ut eorum hic mentio iniiciatur, quum idem, quod in illo, adhibeatur primae personae et numeri quidem singularis suffixum atque is ipse, qui in praemissis, suam ad deum patrem dirigat orationem. Potiori igitur iure de Christo solo haec verba exponimus. Sed quae sit vita quaeritur quam deus notam illi faciat? Spem suam in proxime praemissis Messias declarat firmissimam, se ab inferis reditutum esse, neque corpus eius corruptioni fore obnoxium. Subiungit his, deum, quem adpellat, vitae semitam sibi ostensurum esse. De ea itaque vita sermo sit, necesse est, quae mortem eius insequetur. Sed haec aeterna *o*) erat atque gloriosa *p*), ad quam obtinendam semita a mortuis fuit excitatio,

A 3

*i*) actor. II. 28. *k*) oper. tom. II. p. 67. *l*) oper. tom. V. p. 75. *m*) harmon. vet. et nou. testam. p. 291. *n*) I Petr. 1. 3. I Cor. XV. 22. conf. progr. mors per Adamum vi-

ta per Christum Ien. 1769. *o*) Rom. VI. 9. *p*) Phil. II. 9. Ebr. VIII. 1. Ephes. I. 20. 21. 22.



tio, qua loquendi formula poeta vitur diuinus, metaphora a viatore ducta, qui viam ingreditur sibi non cognitam, quamque monstrat ei alius, vt illius ope ad locum veniat propositum atque exoptatum. Dum autem pater caelestis semitam hanc notam fecisse Christo perhibetur, de notitia nuda, quae prima et princeps est verbi ירע potestas, sermonem non esse, manifestum est, quum eam et ante mortem haberit redemptor q). Notitia vero verba haud raro per metonymiam de effectu notitiam consequente adeoque de experimentalis cognitione, rei perceptione et vsu acquisita, adhiberi, plura docent exempla r). Patrem itaque suum alloquendo confidit Messias, fore, vt is eum a mortuis reuocet, quo vita potiatetur aeterna, quod quidem singulare virtutis diuinae opus primae diuinitatis personae, fonti ac principio trinitatis omniumque actionum diuinarum, saepissime in scriptura sacra eum in finem tribuitur s), vt illius ad reliquas personas diuinas relatio inculcetur, licet idem illud filio t), quoque et spiritui sancto u) vindicetur.

Declarato seruatoris a morte ad vitam reditu, felicem, in quem per illum transferendus sit, statum is ipse exponit verbis שבע שמחות אה פנך *satieta- tem gaudiorum cum facie tua*, in quibus explicandis interpretes in diuersas abeunt partes. In lectiones variantes non est, quod studiosius inquiramus. Septuaginta quidem seniores, quos Lucas sequitur x), priora verba transferunt: πληρώσεις με εὐφροσύνης. Conuenient cum his versiones *vulgata* atque *arabica*. In mentem hinc venire posset, in codice priorum ebraico loco שבע positum fuisse השביעני. Sed μεταφράσει quaedam sensum potius, quod haud raro accidit, quam verba expressisse videntur, quandoquidem gaudiorum notam facere satieta-tem idem esse putauerint atque satiare s. implere gaudiis. Neque *Symmachi* translatio, quae ἐπὶ τὰ εὐφροσύνας exhibet, hic in censum venit, quum sine dubio vsus fuerit metaphra-tes codice non punctato legeritque שבע *septem*. Numerum septenarium ad multitudinem exprimendam adhiberi, plura docent litterarum sacrarum exempla y). Potuit igitur hoc nomine gaudiorum, quorum Messias particeps futurus sit, complexus exprimi. Sed magis tamen cum

q) Luc. XVIII. 33. Matth. XII. 40. r) ps. XX. 7. ecclesi. VIII. 5. VI. 6. conf. et GLASS-  
II philolog. sacr. libr. V. tr. I. c. I. p. m.  
1437. coll. libr. III. tr. III. can. XVI. p. 792.  
s) actor. XIII. 30. 33. XVII. 31. Rom. III.

24. 25. VI. 4. VIII. 11. I Cor. VI. 14. XV. 2.  
caet. t) Io. II. 19. 21. X. 18. I Petr. III.  
18. Rom. I. 4. u) Rom. VIII. 11. x) actor.  
II. 28. y) leuit. XXVI. 24. 28. prou. XXIV.  
16. Matth. XVIII. 22.



cum orationis sine conuenire videtur, quae de laetitiae satietate datur, expositio, quandoquidem poeta facer in eo est, vt redemptoris statum post eius resurrectionem exponat felicissimum, qui eam exhibeat gaudiorum copiam, vt plura non desideret. Dilucidior insuper et planior, quod et cel. MICHAEELIS monet z), redditur oratio, quum non facile lector numerum hic cogitet septenarium et bonorum, quo quis fruitur, abundantia haud raro satietatis verbo repraesentetur a). Sed sensus potior habenda est ratio, qui maxima ex parte a iusto verborum cum iis, quae praemissa sunt, nexu pendet. Interpretum enim haud pauci plenam ea absolute propositionem existimant, ita vt inserto verbo substantiuo vertenda sint: *satietas laetitiarum cum facie tua* est, et non de Messia solum, sed de omnibus quoque post hanc vitam beatis valeant. Exponit IO. PISCATOR b): *qui adspicit faciem tuam serenam ac beneuolam, is gaudiis saturatur*. Sed haec textus *סוּאָוֹן* et orationis fini non apte respondent. Messias in proxime praemissis suam proposuit a mortuis excitationem, subiungit his gaudia cum facie dei consequenda. In omni hoc cantico de seipso tantum dicit. Qui itaque fiat, vt ad alios haec verba referantur, arctissimo nexu cum antecedentibus coniuncta, quum ne vilum quidem adit mutati subiecti indicium, identique compelleretur deus pater, ad quem in toto hoc psalmo directa fuit oratio; poeta insuper facer, qui Messiam inducit loquentem, haec eo proponat animo, vt ostendat, quae sit illius resuscitati conditio. Potiori itaque iure enuntiatum hoc cum verbo praemisso *תִּרְיַעַר* cum HIERONYMO c), MART. GEIERO d), IO. HENR. MICHAELIS e), THEOPH. ALETHAEO f), aliisque connectimus, ita vt et ad ea, quae in hoc commentate sequuntur, proposita reliqua constructionis ratione extendatur, nequaquam vero repetito aut subintellecto nomine *פָּנָיו* quae COCCHEII est sententia, qui transfert g): *nosse me facies iter satietatis laetitiarum apud faciem tuam h)*, hisque subiungit: *hoc est, ego per sanguinem meum, per velum carnis transibo in sanctum sanctorum Ebr. IX. 24. vt ibi perpetuo praesens adfissam faciei tuae*. Neque enim est huius *ἐπιπέσει* statuendae necessitas, neque apte satis ad gaudiorum satietatem via nominatur, quam seruatoris fan-

z) I. c. p. 248. a) pron. XXVII. 7. XII. 14. I Sam. II. 5. b) commentar. in omne libr. vet. test. tom. III. p. 132. c) breuiar. in psalter. oper. tom. II. p. 153. d) comment. in h. l. e) annotatt. in ha-

giograph. vel. I. p. 97. f) in der gründl. Erläuter. der dunkeln Oerter A u. N. T. part. VII. p. 303. h) comment. in psalm. oper. tom. II. p. 28.

sanguinem esse, vel ex hac ratione hic adfirmare non licet, quod de il-  
 lis sermo sit, quae redemptori post reditum in vitam accidant. Sed quae  
 sit שמחה שבע *satietas gaudiorum?* Quum prius verbum proxime illam  
 inferat rerum sensibilibus multitudinem, quae ad appetitum, cui inferuit,  
 restinguendum sufficit *i*); facile intelligitur, metaphora adhibita illam de-  
 notari rerum aliarum, quarum quis particeps reddatur, copiam et abun-  
 dantiam, vt plura non adpetat, quod et verba cognata atque analogae  
 probant *k*). Cum שמחה igitur connexum tantum gaudiorum designat  
 cumulum, qui eius, cui accidant, desiderio ex asse respondet, vt pro-  
 fus in iis ille adquiescat, neque plurium aut maiorum compos fieri con-  
 cupiscat. Sed gaudium oritur e perceptione boni cuiusdam et perfectio-  
 nis, quae ad eum refertur, cuius suauissimus est hic animi adfectus.  
 Gaudiorum itaque satietas cui contingit, is in eo constitutus est felicita-  
 tis statu, vt illo prorsus sit contentus, neque feliciorum aut perfectio-  
 rem desideret, qui quidem absolute sumtus hominibus huius vitae nequa-  
 quam accidit, quum praesentis saeculi gaudia caduca sint et minus per-  
 fecta, in futura modo beatorum vita contingit. Apte in hanc rem R.  
 SALOM. IARCHI ad excitata textus verba commentatur *l*): שמחה שאין  
 קץ ותכלה היא השמחה של עתיד *gaudium, quod non habet finem*  
 et consummabitur hoc gaudium futuro tempore. Messias igitur, fiduciam de  
 gloriosissimo perpeffionum suarum exitu exponens, spe nititur firmissima,  
 fore vt a patre caelesti a mortuis reuocatus tot tantisque bonis et gau-  
 diis recreetur, vt plurium maiorumque fruendorum desiderio nullo adfi-  
 ciatur, adeoque conditio sua reddatur felicissima, quam et diuinus de-  
 clarat Paullus *m*), dum deum et patrem quidem *n*) Christum morte ab-  
 soluta exaltasse eique dignitatem conciliaffe profiteretur, qua omnibus na-  
 turis finitis sit eminentior. Hanc ipsam autem gaudiorum satietatem  
 se obtinere memorat Messias את פניו *cum facie dei patris, quem allo-*  
 quitur. Haud raro numini diuino in sacris litteris facies tribuitur, ad  
 varia eius designanda. Hominis enim facies, pars corporis nobilior,  
 per synecdochen, saepius nominatur ad integrum suppositum denotan-  
 dum *o*). In vultu laetitiae atque fauoris pariter atque moeroris et in-  
 digna-

*d*) exod. VI. 3. leuit. XXV. 19. pf.  
 LXXXVIII. 25. *k*) pf. LXV. 5. LXIII. 6.  
 LXXXX. 14. prou. XXIII. 23. XXVII. 7.  
*l*) comment. in h. l. *m*) Phil. II. 9. seq.

conf. Ebr. II. 9. *n*) vid. Ephes. I. 20.  
*o*) 2 Sam. XVII. 11. eccles. VIII. 1.  
 thren. V. 12.




dignationis indicia animadvertuntur, vt adeo et ad hos animi adfectus denotandos nomen פנימיה <sup>p</sup> adhibeatur. Deo itaque adscriptum non eius modo praesentiam <sup>q</sup>), et peculiarem praesertim signis et operatione manifestatam <sup>r</sup>), qua gratiam et beneplacitum exhibet <sup>s</sup>), vel iram et vindictam declarat <sup>t</sup>), verum etiam singularem illius indicat manifestationem, quae angelis accidit et hominibus, qualem quis habet eorum, quibuscum magna intercessit familiaritas <sup>u</sup>). Perhibet itaque Messias, gaudiorum suauitatem et beatissimam adeo conditionem, quam rediens in vitam consequatur, coniunctam esse cum singulari plane patris sui praesentia, qua gratiosissime in eum operetur eique peculiari plane ratione se manifestet et perfectissimam hanc beatitatem conciliet.

Tandem perpetuam summae huius felicitatis durationem scriptor facer laudat verbis: נעימות בימיך נצח <sup>p</sup> *amoenitates in dextra tua in perpetuum*, quae varia ratione exponi deprehendimus. Longius a textu recedit *Syrus* transferens:

נצח וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה וְנִצְחָה <sup>v</sup> *et satiabor suauitate victoriae dextrae tuae.* Trans-

ponit vocabulum נצח eidemque victoriae vim tribuit, vt sensus sit, deum in hoc cantico precanti victoriam a morte et inferno reportatam concessisse. Sed haec textus variatio neque versione antiqua alia, neque codice ebraico confirmatur. Quam insuper voci נצח tribuit significandi potestatem illa quidem etymologiae non repugnat et e lingua quoque syriaca stabiliri potest: sed in sacris tamen pandectis non occurrit, neque loquendi formula, *victoria saturare*, rei ipsi satis conuenire videtur. Rem aliter expedire nititur *Grotius*. Dum enim in cantico hoc Dauidem de seipso loqui contendit, excitata textus verba haec *ναγαρῶσες* explanat <sup>x</sup>): *gaudebo fretus auxilio tuo usque ad finem vitae, nempe ubi in regno ero collocatus.* Sed ipse fatetur <sup>y</sup>), psalmi huius ora-

<sup>p</sup>) prou. XVI. 15. I Sam. I. 18. gen. XXXII. 21. <sup>q</sup>) pl. CXXXV 1111. 7. <sup>r</sup>) deut. V. 4. XXXIII. 10. exod. XXXIII. 14. 15. <sup>s</sup>) pl. XXVII. 8. 9. LXXX. 4. 8. 10. <sup>t</sup>) psalm. VIII. 4. XXI. 10. <sup>u</sup>) deut. V. 4. XXXIII. 10. <sup>x</sup>) annotat. ad h. l. <sup>y</sup>) annot. ad ador. II. 25.



oracula in Messia *κατὰ πίδα* esse impleta. Qui itaque accideret, ut hoc enunciatum proxime de Davide valeat? qui perennem atque perpetuam huius vitae laetitiam non habebat exploratam, quum ne quidem ad finem vsque vitae se regnum obtenturum esse considerare potuerit. Verborum itaque vim perspicientes alii, e quibus HIERONYMUM *z*), RIVERTUM *a*), atque MARCKIVM *b*), producere sufficiat, his delectationibus in dextra dei sine carituris felicissimum, quem post hanc vitam beati adipiscantur, statum declarari persuasum habent, Sed aduersatur textus *συνέχεια*. De seipso et quidem solo Messiam loqui, probatum dedimus. Illam is praedicat beatitudinem, quam pater caelestis in vitam sibi redeunti concessurus sit. Quae antea memorauit gaudia, ea hic nomine *נעימות* exprimit, quod de iis modo adhibetur, quae suauia sunt et amoena atque intimam voluptatem conciliant *c*), ideoque haud inepte a LXX. per *τηρνονόητες delectationes* exponitur. Beatissimum itaque statum delineat, quo in vitam reuocatus fruatur et quidem *בימיך* in dextra dei patris, quo vocabulo adiecto deum describi tanquam munificum plures existimant, qui plena quasi manu precanti has exhiberet amoenitates. Scribit ABEN ESRA *d*): *כנתון שתנוה נעימות לאורונו בימינו quemadmodum aliquis dat dona grata diligentem cum, dextra sua*. Consentit cel. MICHAELIS *e*). Ac non inconcinna est expositio, neque aliis, quae varia dei declarant, imaginibus aduersa. Sed eam tamen hic obtinere vix sibi persuadeat, qui perpenderit, ne minimam quidem eiusmodi distributionis exprimendae in verbo *נתן* aut alio tali mentionem fieri. Quod enim antea productum est *תודיעני* et ad hoc enunciatum referendum esse, e superioribus constat. Ad aliud itaque hoc additamento respici videtur. Dextra quidem deo saepissime adscribitur, ad immensam et infinitam eius potentiam atque virtutem declarandam *f*); qua nominis potestate adsumta Messias confitetur, patrem suum immensa, qua pollet, potentia effecturum esse, ut ipse has percipiat amoenitates. Sed neque haec rem exhaurire videntur. In praemissis plura memorauit redemptor insignia virtutis diuinae opera, cuiusmodi et illius erat in vitam restitutio, neque tamen dextra dei eadem esse producta adfirmavit. Eam itaque cur hic memoret,

non


*z*) oper. tom. II. p. 153. *a*) l. c. *d*) comment. in h. l. *e*) l. c. p. 251. p. 69. *b*) exercitatt. bibl. p. 423. *c*) pf. *f*) pf. LXIII. 9. XX, 7. CXVIII. CXXXVII, 1. CXXXV. 3. CXXXIII, 1. 15. 16.

non satis adparet ratio. Sed potentiam hanc infinitam dextra eius significatam deus quoque exferit in moderando hoc vniuerso et sua praesertim ecclesia, vt adeo illa huius quoque regiminis symbolum sit *g*). Christus absoluto redemptionis opere in vitam reuocatus a deo patre ad dextram eius perhibetur euectus, vt ibi fedeat, eoque regimen indicatur diuinum ac maiestaticum, quod in communionem patris exercet per potentiam infinitam cum natura eius humana communicatam. Vtitur hoc emblemate Dauides verbis *h*). נָאָם יהוה לארני שב לימיני ער אשית וגו'. *pronunciatum est Iehouae dei patris ad dominum meum Messiam factum, sede ad dextram meam, vsque quo ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* De Christo enim haec exponenda esse, et quidem in vitam restituto, luculenter Petrus *i*) confitetur et Paullus, qui et hanc eius ad dextram dei sessionem declarat *k*): *δεῖ ἀπόρον βασιλεύειν*, atque alibi proficitur *l*), deum eundem a mortuis excitatum ad dextram suam collocasse. Eadem est ratio huius in cantico nostro enunciati. Loquitur Messias de statu, in quem a mortuis resuscitatus a deo patre constituendus sit, beatissimo. Confidit, se numinis huius ope amoenitatibus et summa perfunctorum esse felicitate et quidem in dextra eius. Consideranti haec statim in mentem veniet, dextra hac patris regimen illud notari, quod in dei communionem is gerat ab ipso exaltatus, Apte hac ratione cohaerent omnia. Meminit in priori commatis nostri membro seruator suae in vitam restitutionis, in altero beatissimae, quam per eam consequatur, conditionis, in tertio gloriae cum hac beatitudine coniunctae, quam non caducam esse et instabilem, adiectum verbum מָצָא probat, quod proxime aeternitatem notat, durationes alias superantem, a qua prima eius significandi potestate non est, cur hic recedamus. Significat igitur redemptor, se amoenissima hac sorte in dextra dei in omnem potiturum esse aeternitatem, quod et alia effata diuina confirmant, quae thronum et regnum Christo vindicant aeternum *m*).

B 2

Ediffe.

*g*) Ies. XXXVIII. 10. pf. XXXXVIII. XXVI. 64. Marc. XVI. 19. a) Ies. VII. 11. Ies. XXXXI. 10. *b*) pf. CX. 1. d) a) Ies. 55. seq. *m*) pf. XXXXV. 7. Ebr. I. 33. II. 33—35. *k*) I Cor. XV. 25. *l*) Rom. apoc. XI. 15. VIII. 34. Coloss. III. 1. conf. et Matth.



Edifferendi haec occasionem praebuit, quod nunc per caelestem benignitatem redit, festum tempus, memoriae restitutionis Christi e mortuis consecratum. Quo certe grauiora redemptoris nostri in vitam reditus exhibet argumenta, spem nostram in vita post mortem beata positam confirmandi, eo amplioem fidei excitandae et suffulciendae praebet materiam. Vitam seruator ingressus est gloriosam atque aeternam. Vera itaque fide cum ipso coniuncti tuto confidere possunt, fore, vt in morte non permaneant, sed aeterna in eius communione potiantur salute. Sedulo haec perpendite CIVES et ita vitae vestrae rationem componite, vt ex illa adpareat, spei huius suauissimae vos participes esse factos. Amplam id peragendi dies hi festi vobis suppeditant opportunitatem, quibus parta per redemptoris nostri *adorari* salus in sacris Christianorum coetibus celebratur. Vestrum iam est partium, vt non ad aedes tantum numini sacratas confuatis et, quae resurrectionis Christi praecones vobis proposuerint, oracula diuina animis ad sancta pietatis studia compositis percipiat, sed et his ipsis reparatae per seruatorem gratiae interpretibus gratos vos exhibeatis, P. P. primo festo die paschatis a. r. s. CIO IO CCLXXVI.



Fd 3984

ULB Halle 3  
002 164 590




TA-OL


V. 17

M. 17









17  
ESTVS  
ONE IN MORTE  
AC DEVICTA  
M VIVENS

TIO TERTIA  
AD  
ASCHATIS

EBRANDA  
IN  
A IENENSI

POSITA



5.

NAE  
MAVKIANIS.

